1865

DE HYDROCELES OPERATIONE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVI. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXV

H. L. Q. C.

1865

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HUGO SCHIFFER,

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

A. OSTROWICZ, CAND. MED. ET CHIR.

J. BUZALSKI, CAND. MED. ET CHIR.

VRATISLAVIAE.

TYPIS F. W. JUNGFERI.

PATRI OPTIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

1) Aetiologia.

Testis et epididymis duplici sacco seroso (tunica vaginali testis propria) voluta sunt, quo, si bene illi valent, guttae aliquot seri continentur, quibus efficitur, ut superficiebus perpetuo lubricis inter se attingant. Cujus materiae collectio abnormis et mutatio qualitativa efficiunt hydrocelen.

Hydrocelen, si congenitam exceperis, in infantes incidere rarissime est animadversum. Verum adultae aetatis homines ei tam obnoxii sunt, ut nec vitae conditio, nec regionis ejus, in qua versantur, natura ullum discrimen faciunt; sed hydrocele in omnes aeque invadit. Est vero observatum, frequentius locis calidis, quam temperatio hunc morbum inveniri, atque imprimis in Brasilia et per insulas eas quas Indiam occidentalem nominamus, tam vehementer grassari, ut decimus quisque eo laborare dicatur. Quod *Hyrtl* eo effici vult, quod scrotum hac in regione calore admodum extentum multo magis expositum sit laesionibus et incommodis mechanicis. Occasiones variae sunt, ex quibus is morbus oriri potest. Ante

omnia res notandae sunt, quibus inflammantur testis et tunica vaginalis vel sanguis languescit in funiculi spermatici venis. In quibus sunt numerandae compressiones incommodae, quae zona et bracherio fiunt, fricationes, contusiones, organorum virilium quassationes equitando saepe ortae, itinera majora, labores modum et vires humanas excedentes, quibus funiculus spermaticus contunditur, musculo recto abdominis contracto *(Velpeau)*, denique lavatio calida male suscepta, *Pitha* auctore.

Saepissime autem hydrocele remanet, sublatis orchitide vel urethritide, aut si hi morbi diutius durant accidit complicatio ad chronicum eorum decursum. In pthisi tuberculosa, in marasmo senili, in chronicis morbis omnibus, qui magis minusve hydraemiam provocant, causam ullam hydroceles esse positam putare non licet, propterea quod multo magis symptoma quoddam universalis dyscrasiae videtur esse. Deinde chronica hydrocele, cui nomen hydrocelae congenitae inditum est, oriri potest ex anomaliis quibusdam, quibus processus vaginalis peritonaei patet. Et in natura positum est et rarissime fit, ut processus vaginalis peritonaei in descessu testiculi attractus ante foetum natum coalescat, vel ut accuratius definiamus mense octavo vitae foetalis. Incipit coalescere ab annulo inguinali interno, desinit in teste. Ita processus ipse mutatur in ligamentum quoddam firmum, cellis tenuibus, per medium funiculum spermaticum porrectum. Quum ea obliteratio a cavo peritonaei deorsum est confecta, tum demum tunica vaginalis propria formatur in sacrum proprium serosum et circumclusum. Iam vero

interdum fit, ut processus vaginalis peritonaei ex partc tantum aut omnino non coalescat, itemque tunica illa ex parte aut omnino non circumcludatur. Communicatio quaedam tum tunicae vaginalis cavi cum peritonaei cavo manet, ac fieri potest, ut liquor serosus cavi peritonaei demittatur in testis tunicam vaginalem, tunica vero distendatur ad tumorem paullatim crescentem.

Schreger hydrocelen quandam cysticam congenitam descripsit depinxitque, qui casus rarissimus hic fuit: in canali inguinali, qui apertus remanserat, cysta aliqua, quae cum illius parietibus undique coaluerat, ita sita erat, ut fine altero et obtuso libere in abdominis cavum, altero libere in testem vergeret.

2) Symptomatologia.

Tumor in universum est ovalis et pyriformis, vertex obtusior adverso annulo inguinali, basis est deorsum versa et alternat, mox infantis recens nati magnitudinem capitis aequans mox viri adulti. Sunt autem observatae etiam aliae formae, quarum origines ex forma tunicae vaginalis principali ex diversisque rebus illis, quas tunica liquori instanti opponit, sunt ducendae. Idem, quamquam volumine, ut verbo utar, non ita parvo utitur, tamen minimi ponderis specifici est. Si scrotum minus extentum est, fluctuatio animadvertitur, tumor perspicuus esse solet, et intra eum lumine permisso testis forma striae umbrosae et obscurae notatur in tumoris pariete posteriore.

Hydroceles contentum plerumque tenue et clarum est, color pelvus esse solet, mutatur raro admixtis epi-

theleis, vel sanguine vel adipe vel pigmento, vel corpusculis puris. Sin contentum tinctu est rubro, admixtique fibrini flocculi sunt et crystalli cholestearini, apparet hydrocelen ex haematocele ortam esse. Esse etiam, quum lactis sit color liquoris similis, demonstrat *Vidal* et describit sub nomine „*galactoceles.*" Et probatum quidem est quaestionibus per microscopium et chemiam instructis globulos adipis permultos in liquore esse suspensos, quare liquor ipse ita tingatur.

Spermatozoa in hydroceles contento inveniri multi observarunt. Eaque nasci putaverunt ex ruptura quadam voluntaria canaliculorum semeniferorum aut testiculo punctione laeso. Nuper *Gosselin*[1]) et *Verneuil*[2]), qui fundamentis physiologicis nixi in hanc rem inquirebant tenebras ex parte discusserunt, denique *Luschka*[3]), commentatione illa praestantissima de testium appendicularibus formationibus scripta rem ita tractavit, ut plane ad liquidum rem perduxerit.

Sub epididymidis capite fere semper rotunda vesicula est sita, magnitudine lentis vel ciceris, residuum unius ex supremis corporis Wolfiani intestinis coecis-hydatis Morgagni, quae pediculo caret. Vesecula tota est tunica vaginali testis circumclusa et cujus cavum fere semper cum epididymidis canaliculis seminiferis

---

[1]) Du testicule et de l'appendice testiculaire Arch. de méd. 1848.

[2]) Recherches sur les Kystes de l'organe de Wolf.

[3]) Virchow's Archiv, Band IV pag. 310.

communicat. Continet aliquoties spermatozoa; magnitudine aequat interdum nucem avellanam, deinde dirumpi solet, diruptaque contentum liquorem effundit in cavum tunicae vaginalis propriae. Hydrocelen cysticam spermaticam *Uhde*[1]) ortam esse censet ex degeneratione vasorum aberrantium Halleri. Fiunt cystae saepe magnae, interdum pediculatae, communicant cum canaliculis seminiferis, sed quod maximi momenti est, sunt sitae extra tunicam vaginalem propriam.

3) Anatomia pathalogica.

Quum in orchitide chronica aut in incommodis atrocibus, assiduis, frequenter recidentibus cura parum apta adhibiatur, si hydrocele saepe recidit, organa affecta commutari possunt, quas mutationes contemplari pathologiae potissimum interest. Et testis et epididymis evanescere possunt, saepe etiam, ultra normam augeri. Accidit etiam, ut tunica vaginalis haud mediocriter membranis falsis aut densetur aut in os transeat. Consurgunt enim in illa ecphymata villosa et existunt neoplasmata, quae formas corporum rotundorum et nodosorum imitantur. Eaedem paullatim vegetatione quadam arborescenti occupantur, in cujus extremo nodo ecphymata rotunda et iniqua emergunt, quae aut ex condensatis telis cellulosis constant aut in cartilaginem aut in os coeunt. Ea corpuscula aliquoties

---

[1]) Deutsche Klinik Nr. 19, 1853.

a pediculis dirimuntur, absolutaque in tunicae vaginalis cavo inveniuntur.

Dum extravasatum fluidum resorbescit, adhaesiones quaedam fiunt aut laxae et in modum filorum, aut densiores et adstrictae, quae saepe fluidi extravasati partem recipiunt, et undique circumcludunt. Unde oritur hydrocele cystica. Denique fieri potest, ut formationes tuberculosae et fibrosae et carcinomatosae in tunica vaginali prodeant. Quae si accedunt, hydrocele quamquam per se ipsa facile diagnosci potest, multa opera consumenda est, ut perspiciatur.

4) Diagnosis.

Diagnosis, quum omnes res, quae ad morbum pertinent, manifestissimae adsunt, est facillima, sunt tamen, in quibus difficilior esse possit, difficillima est, ubi nulla res morbum indicare potest nisi incisio.

Quamquam concedendum est, hydrocelen cum hernia scrotali confundi posse, tamen hic quoque signa et rationes quaedam offeruntur, quae satis circumspectae prohibent, ne quis falsam diagnosin faciat. Hernia enim scrotalis explicari supra incipitur et deorsum augetur; explicatio hydroceles plane contrarie progreditur. Huc accedit, ut hernia scrotalis brevi oriatur, hydrocele paullatim crescat. Deinde illius percussae sonus tympaniticus est, hujus inanis. Tum in hydrocele fluctuatio et perspicuitas animadvertitur, hernia scrotalis utraque re caret, ad quaestionem physicalem multo valente.

Tussis, situs aequus, pericula reponendi causa facta hydrocelen neque minuunt neque augent. Suprema pars tumoris hydrocele repraesentata intervallo quodam ab annulo inguinali disjungitur. Digitus interdum in canalem inguinalem inferri potest, isque num statu recto versetur, dijudicari. At difficilius, si qua complicatio hydroceles cum hernia extat. Item difficilis ad diagnoscendum est Hydrocele funiculi spermatici, quae formam sacci cylindrati, hic illic conscricti imitans praeter totum funiculi spermaticum progreditur a teste incipiens, deinde sursum usque ad canalem inguinalem porrecta et similia symptomata interdum edit atque hernia incarcerata. Nec vero ommittendum est, hydrocelen veram facile sumi posse pro sacco hernali primum obliterato deinde liquoris pleno. Quibus casibus rarissimis et difficillimis, si aeger ipse de morbi origine et causa quidquam certi indicare nequit, lumen afferre non potest, nisi herniotomia morbi explorandi causa facta.

5) Prognosis.

Hydrocele nec cum periculo nec cum dolore conjuncta prodit, nisi quum aut amplitudo ejus aut pondus aliquanto auctum est, tum autem molestiae tam vehementes fiunt, ut per longum spatium temporis paene non ferendae videantur. Penis, quoniam ejus tunica distrahitur, forma propria caret, nec suo munere satis fungi potest. Quam ob rem urina radiate ut antea

emitti non potest, sed super scrotum effusa excoriationes in eo efficit, et coitu abstinendum est.

Si scrotum diutius et vehementius extentum est, in senibus hominibusque debilibus gangraena observata est. Progressa hydrocele sua sponte fere nunquam praeterit, sed per artem est tollenda.

6) Curatio.

Primum quidem curationis id maxime propositum esse potest, ut resorbescat extravasatum, qua tamen ratione modo hydrocelis recentibus et levibus maximeque aetate impubere aliquid emolumenti affertur.

Fuerunt quidem, qui hydrocelen medicamentis externis sanare conarentur, quem ad finem irritantibus liminentis, inunctionibus unguenti cinerei, kalii jodati, tartari stibiati utebantur, atque *Dupuytren* emplastro cantharidum saepius in scrotum applicato malum a se esse sublatum affirmat.

Demlow hominibus tribus provecta aetate, qui de hydrocele eum consulebant, balneas calidas immixto ammoniaco hydrochlorato depurato praescripsit ternas per singulos dies. Res optime cessit. Nam tribus hebdomatibus peractis morbus erat depulsus. Eandem rationem balnearum *Basedow* [1]) secutus est, nisi quod

---

[1]) Caspers Wochenschrift 33, 1851.

praeter Ammonium hydrochloratum depuratum admiscebat scillam.

Collodium obtinendum in hernia genitali *Malick*[1]) commendat, ut compressio ubique aequalis fiat. Is collodium penecillo aliquo quam aequabilissime ad locum male affectum inducit; quod ubi siccatum est, pergit idem facere ac repetit, donec quatuor vel quinque strata inter se obtegant. Constat quidem compressionem per collodium aequabiliter effectum multo praeferendam esse ei rationi, qua *Frickius* locum patientem emplastro adhaesivo involvi vult, quo in scroti membrana tenera, quae quidem infantium est, erythema oritur doloresque graviores capiuntur.

At multo utilior celeriorque et ad levandum et ad tollendum malum est acupunctura.

Acus transmittitur, ubi est fluctuatio per cystae parietem, volvitur paulum torquendo deinde extrahitur. Recte si punctum est, ex aperto illo guttae nonnullae liquoris serosi elabuntur, quo tunica dartos impletur, inde ortum oedema brevi resorbescit. Huic rationi *Baschwitz*[2]) ita applausit, ut emplastrum adhaesivi illud *Frickii* adderet, successu non ita malo. Is enim, postquam pungendo hydrocelae liquoris aliquantum abstulit, linteis unguento plumbi oblitis, partes male affectas obtegit; insuper imponit emplastrum adhaesivum illud

---

[1]) Prager Vierteljahresschrift 1853, X, 2.
[2]) Deutsche Klinik 12, 1850.

Frickii non aliter ac in orchitide. Aegroto mandat tranquillitam summam et diaetam durissimam. Ubi duae vel tres hebdomades praeteribant emplastrum detrahebatur, saepe autem malum inveniebatur sanum. Tamen haec quoque ratio in levibus tantum hydroceles satis valet, si hydrocele magnae et chronicae extant, maximo commodo est, ut acu triquetra cannulata liquor amoveatur, quem ad finem acus quam tenuissima est eligenda.

Conducit etiam liquorem non repente emittere, immo vero repetere operationem eandem diebus intermissis ternis vel quaternis atque imprimis, quum liquor calore est rubro. Nam liquore repente amoto maxime in hominibus aetate provectiore facile periculum est, ne saccus vacuus debilitetur et gangraena oriatur. Summa ratio testis habenda est. Exploratur igitur, id quod propter ejus sensibilitatem non ita difficile esse solet, digitis figitur, tumor deprimitur; quo facto in tertiam tumoris partem ita pungitur, ut testis pari intervallo distet. Pungendum ab imo ad summum est ictu brevi et rapido. Deinde ubi illud impedimentum, quod acui triquetrae cannulatae ab initio restiterat, sublatum est, acus extrahitur, canaliculus autem triqueter in contrariam partem versus paulo altius detenditur, ut materia libere jam effluere possit. Qua operatione hydrocele ad tempus tollitur, recidit tamen temporis spatio longiore intermisso. Quod ne fieret, ex parte nonnulli ei providerunt, quod remediis quibusdam adhibitis membranam eam, quae serum secernit ita tractabant, ut plane coalesceret. Quae hoc parat inflam-

matio adhaesiva, rebus quibusdam acribus injectis provocatur, neque tamen suppuratio est admittenda.

Ex diversis hydroceles curandae methodis nunc imprimis praeter incisionem variorum medicamentorum injectio in cavum tunicae vaginalis clausum usurpatur. Hic revera quasi arena novarum commendationum ac methodorum patet, hic quasi exercitus substantiarum cujusvis status aggregationis, ab aëre atmosphaerico per omnia aquosa, vinosa, alcoholica cunctisque materiis pharmaceuticis gravefacta fluida usque ad corpora solida habet laudatores. Quibus ex fluidis tempore recentiore solutiones jodatae a *Velpeau* commendatae in Germania locum principum obtinuerunt. At omnibus jodi solutionibus *Lugoliana* est praeferenda, quae hoc modo est composita:

Jodi scrupulum unum
Kali jodati scrupulos duos
Aq. destill. unciam unam.

Methodus operationis est simplex; postquam acu triquetra cannulata oleo perfusa contentum scroti fluidum emissum est, sipho ante praeperata in canaliculum immittitur et duae vel tres unciae solutionis jodi modo memoratae paullatim injiciuntur. Si acus triquetra cannulata epistomio est adornata, clauditur, et siphone remoto substantia injecta per quatuor vel sex minutas in cavo seroso manet. Sin illa epistomio caret, digitus impositus satis claudat locum apertum. Ac ne forte liquor ad tunicae vaginalis planitiem interiorem aliis locis penetret, aliis ab ea absit, saccus plenus compluries quassatur, ut omnes tunicae partes attingantur. Spatio illo temporis

praetermisso substantia injecta remittitur, quod vulnus parvum remanet, comprimitur, et emplastro adhaesivo imposito aeger debet in summo otio versari. Statim ab injectione dolor vehemens oritur, qui in scroto et funiculo spermatico plerumque continetur, raro usque in regionem inguinalem et in os femoris patet. Tamen liquore effuso extemplo levatur et quum sensim remittatur, fere nunquam amplius duas vel tres horas durat. Paullo post turgor ex inflammatione sequitur, scrotum tumescit et rubescit. Ita tumor altero vel tertio die in modum pristinum reducitur. Quum ea ratione ad sanandum omnino sit opus, cavendum est, ne remedia ad inflammationem levandam pertinentia adhibeantur. Aegrum in lecto prostratum esse cum summa tranquillitate necesse est, et scrotum maxima cura adjuvare. Tum a die quarto vel quinto inflammationes minus saepe apparere solent, tumor in dies magis consistit et minuitur, ita ut tandem hebdomade sexta post evanescat, ab octavo die adeo dolore careat, ut aegroto non surgere solum liceat, sed laborem quoque aliquem facilem suscipere. Non minus bene ac propere quam jodi solutiones chloroformium adhibetur, quo *B. Langenbeck* primus utebatur, quod praeterea commodum praebet, facillime in gasorum formam transeundi, ita ut contactu tunicae quam intimo vaginalis inflammationem ubique aequalem provocat. Injectionem chloroformii *B. Langenbeck* [1]) hac ratione instituit: aqua per canaliculum acus triquetrae effusa drachmam unam vel

---

[1]) Deutsche Klinik 1854.

unam et dimidiam chloroformii injicit, quod scroto leniter premendo totam tunicae vaginalis superficiem tangere curat. Post duas minutas cavum evacuat et semel vel bis aquam fontanam injicit, ut maxima ex parte chloroformium eluatur. Postremo scrotum linteis in aquam frigidam immersis obtegitur, donec vehementes dolores desinant. Vulnus emplastro adhaesivo anglico et collodio exactissime contra aëris aditum clauditur.

Symptomata, quae chloroformio injecto prodeunt; eadem sunt, quae post injectionem solutionis jodatae, sed intrant citius, durant brevius.

Ubi primum chloroformium tunicam vaginalem tetigit, aeger de doloribus valde urentibus in scroto et funiculo spermatico usque ad regionem sacralem queritur. Hi dolores circiter horae quadrantem explent, post aquam egestam evanescunt, neque quidquam nisi levis dolor ex contactu scroti oriundus remanet. Primo post operationem die tunica vaginalis et albuginea intumescit (nec vero item, ut post injectionem jodi, et exigua in eo sentitur fluctuatio). Secundo die invenitur in tunicae vaginalis cavo massa solida et mollis, qua digito compressa crepitationem claram cognosces. Quae quidem haud dubie fribrinosa massa exsudata per tempus diverse longum reperitur: in duobus casibus etiam post dies decem sentiri, in aliis post diem octavum evanuit. Dolor, qui contactu scroti commovetur, post duos vel tres dies prorsus desinit.

Chloroformio *Bardeleben* semel usus est, sed minus tamen prospere. Item *Wagner* et *Esmarch* chloroformio uti sunt, idem erat eventus.

Middeldorpf chloroformium saepe non frustra adhibuit, et equidem ejus operationibus multis interfui.

Contigit mihi, ut tres homines hydrocele laborantes ab initio curationis usque ad malum sublatum maxima cum diligentia observarem. Et in duobus quidem injectio solutiones jodi Lugolianae cum saluberrimo quidem effectu sumebatur. Aegri enim quinta hebdomade post convaluerunt, neque unquam morbus denuo irrupturus esse videbatur. In tertio homine chloroformium injici placuit. Hic quoque intra quatuor hebdomades restitutus est, sed remansit epididymidis induratio non levis. Imprimis in testibus et epididymibus affectis, id quod hydrocelen acquisitam fere semper sequi solet, jodum in therapia in civitatem quasi pervenit, ut loco nunquam moveri posse vix putem. Quod quum omnium remediorum et certissime et celerrime et oportunissime exsudatum plasticum in tunica vaginali instituat, deinde quum celerrime efficiat, ut exsudata chronica indurata quum in tunica vaginali tum in epididymide absorbescant, tollit in perpetuum una cum hydrocele chronica saepe vel gravissimas indurationes. Sed si accurate inspicimus, non effugit eas injectiones in malis levibus tantum et simplicibus multum valere. Nec vero ullo modo impedire possunt, quin morbus recidat. Si quid difficile et contortum exstat, unicum remedium, ut malum funditus tollatur, in incisione est positum. Sed priusquam hanc curandi methodum accuratius explicem, etiam aliarum quarundam methodorum mentio mihi est facienda, quae quamquam nostra aetate nequaquam sequendae sunt, tamen ipse neque di-

gnae videntur, quae omittantur, et in libellos chirurgicos relatae sunt.

Schreger aliique medici docti inhalationem aëris potius quam injectionem commendarunt; quae quidem ratio tamquam leve quid atque inutile jure nunc spreta est. Non magis praestat ab *Joberto* inventa subcutanea tunicae vaginalis scarificatio, quae modo minimis cystis funiculi spermatici subtilissimis parietibus est idonea. Quae operandi ratio jam anno h. s. XL a *Jobert*[1]) referata ab *Hennemann* quodam in monographia descripta et ante tredecim annos a *Buehring*, ut videtur, denuo inventa est. *Hennemann* in mongraphia sua, quae est »de dissectione tunicae vaginalis subcutanea« tria commemorat specimina. In omnibus tribus morbus intra paucos dies sublatus est fortioribus symptomatibus non secutis. Vir quidam sexaginta annorum natus, cui *Hennemann* tunicam vaginalem ratione subcutanea disciderat bacillumque induxerat, quarto post operationem die, bacillo antea remoto, lectum reliquit, quinto domum. Quindecim post menses, inquit, saccus ad tertiam fere partem superioris est repletus, quae intumescentia crescere non videtur. Minus prospere duo ab *Heilfeldero* relata exempla, namque vehemens secuta est inflammatio testiculi et funiculi spermatici, quae in abdomen est progressa et in scroto transiit in suppurationem. Aegroti demum sanati sunt, sed a malo liberati manebant.

---

[1]) Deutsche Klinik 1854, Nr. 44—51.

Valde dolendum est, quod has ipsas *Heilfelderi* operationes tam vehementia comitabantur symptomata, ut ab accuratiori hujus methodi examine deterreretur. Illatio corpusculis alienis sive bacillo sine fistula argentea idem quod injectione efficitur licet minus certa ratione, propterea quod vulnus solvitur, quae res aëris aditu patente suppurationem clausam potest efficere.

Praeterea causticum *Paulus ab Aegina et Guido de Cauliaco* curandae hydrocelae adhiberi voluerunt, quae tamen methodus quippe plus damni quam salutis afferrens nunc plane rejecta est.

Alia methodus hydrocelae radicitus medendi in eo constat, ut funis e pilo tortus immitatur, quae de reactione atque eventa paene media est inter injectionem et incisionem.

Setaceum acu longe per maximum tumoris diametrum transmittitur, ita ut uterque finis libere sit demissus. Quinque vel sex dies illud relinquitur, dum mediocris inflammatio exoriatur partim plasticum partim purulentum movens exsudatum. Curatio fit ablato resorptione filo et suppuratione particulari. Quo modo jam *Guilelmus de Saliceto et Fabricius Hildanus* operati sunt.

Haec quidem methodus maxime levibus hydrocelis convenit, in quibus remedia pharmaceutica supra commemorata et acupunctura jam frustra sunt adhibita.

Pariter ac setaceum sondes prosunt, quibus *Larrey* utitur.

Similia ea ratio efficit, qua *Baudens* usus est, quaeque nuperrime tam varie est exposita. Is enim acum triquetram cannulatam in tumorem mittit, ejusque canales in eo relinquit. Est apertura in medio, ut liquor ex utroque fine defluere possit. *Baudens* jam primum exspectat, si inflammatio canalibus effecta sufficiat. Quod si non ita est, aërem inspirat et si ne ita quidem satis irritare videtur, solutiones argenti nitrici injicit, ut obliterationem perficiat. Quae ratio difficilis quid commodi afferre putetur, omnino ignoro.

Excisionem alicujus partis tunicae vaginalis, nonnisi methodum incidendi praeter necessitatem implicatam indicans omitto.

Gravis, quae dicitur, incisio in libero tunicae vaginalis pariete ejusque tegumentis dividendis versatur. Si tumor est non admodum magnus, bisturiam acutam, cute intensa, per longissimam tumoris diametrum uno ductu transmittere licet. Ductum tamen vitissime fieri opportet, quod aqua celerrime profluit. Solet primum cutis dividi, deinde tunica vaginalis aperiri et cultro incidi, tum incisura forfice dilatari, cujus lamina obtusa in cavum inducitur, donec totum scrotum dividatur et testis nudetur. Si testis et epididymis et tunica vaginalis non admodum immutabantur, sectio est ita perfecta. Si tamen magnas tunica vaginalis mutationes praebet, si valde spissa, in os conversa, si alteri testi adhaeret aut excrescit etc.: haec vitia excisione adhibita removenda sunt. Arteriosi rami scroti spissaeque tunicae vaginalis ipsius, si multum sanguinis fundunt, antequam lina-

mentum imponatur, fascia substringuntur. Ligamentum enim ita fit, ut cavum serosum apertum leviter lineamento expleatur, quod propter acrem inflammationem ac suppurationem movendam usque ad tertium quartumve diem solet relinqui, deinde vulnere tepida aqua bene expurgato, nova suppleri. Quo facto ligamentum quotidie repetitur, quoad cavum granulatione plane conclusum sit, quam ad rem sex octove hebdomades pro cavi magnitudine sunt necessariae. Per priores quatuordecim dies sectum tranquille jacere necesse est, postea vero diutius suspensorium gestare et usque ad curationem perfectam ab omni gravi labore se abstinere.

Varias curandi rationes inter se comparantes, haud dubie intelligimus, incisionem de eventu, quem sectio habet in exquisita ratione, siquidem ea rite sit facta, maximam praebere securitatem. Injectio non tam tutum a recidivis praestat, nec de ipso eventu tam certa est, quam incisio, sed ut aegroto ita medico curanti majora parat commoda. Prior adhaesione ipsa, posterior, quae ratio est procul dubio difficilis ac periculosa suppuratione granulationeque citanda ad curationem perducit. Incisio est sine controversia magis vulnerans et gravior habetque omnia incommoda et pericula suppurationis, pyaemiae et gangraenae, quum injectio haec fere omnia excludat et longe minore pretio curationem conciliet.

Quapropter in universum injectio est praeferenda et exquisita, incisio vulnerans in casus quosdam raros reservanda. Quorum in numero habendae sunt cystae conclusae in funiculo spermatico, praesertim si haerent

in canali inguinali et in diagnosi reliquunt dubia quaedam. Si levissima exstat herniae suspicio, cystam non secus atque incisione, quae fit eadem diligentia, quasi hernia adesset, curare licet. Necessaria est incisio non nisi in cystis funiculi spermatici compositis, quia in eo genere et punctio et injectio exitus habent, in quibus non acquiescendum est. In parvis ac simplicibus cystidibus funiculi spermatici incisio celerius injectione ad finem perducit; in ejusmodi cystidibus perquam voluminosis contra, ut in vulgari hydrocele simplici potior est habenda injectio.

Punctio quidem acu triquetra cannulata, cute in latus rejecta et postea ligamento comprimendi applicato, ut jam supra accuratius descriptum est, in hydrocele congenita valde extenta aptissime erit adhibenda. Neque omnino in ejusmodi casu est injectio commendanda, quia effectus ejus nullo modo potest accurate definiri et maxime in pueris periculosam contrahere peritonitidem, praesertim quum tenue hydroceles collum per sectionem secure comprimi nequeat.

VITA.

Natus sum Hugo Guilelmus Schiffer, fidei evangelicae addictus, Olsnae, oppido Silesiae, die septimo mensis Junii a. h. s. XI. patre Frederico, ibidem praxin medicam exercente, quem Deus per longissimum adhuc tempus mihi servet, matre Maria, e gente Wolf, quam praematura morte abreptam lugeo semperque lugebo. Literarum elementis imbutus gymnasium adii Olsnense, quod tunc viri doctissimi celeberrimi Lange florebat auspiciis, et quod per annos decem frequentavi. Testimonio maturitatis instructus almam hanc litterarum universitatem Viadrinam petii et mense Octobre h. s. a. LX. a viro Ill. Braniss illo tempore fasces academicos tenente receptus et a viro probe venerando Ill. Barkow t. t. medicorum gratiosi ordinis Decano maxime spectabili medicinae studiosus adscriptus sum.

Per decem semestria scholis interfui horum virorum Illustrissimorum, celeberrimorum, experientissimorum Aubert, Barkow, beat. Betschler, beat. B. Cohn, Foerster, Frankenhain, Goeppert, Grosser, Heidenhein, Klopsch, Lebert, Lewald, Loewig, Middeldorpf.

In exercitationibus anatomicis Ill. Barkow, in exercitationibus microscopicis et physiologicis Ill. Heidenhein,

in clinico et policlinico medico Ill. Lebert, in clinico et policlinico chirurgico-ophtalmatrico Ill. Middeldorpf, in clinico et policlinico obstetricio Ill. beat. Betschler duces mihi fuerunt benevolentissimi.

In exercitationibus clinicis et policlinicis benignissime me adjuverunt: Exp. DDr. Caro, Dittmar, Fuhrmann, Humelet, Jaensch, Reinhardt, Schiffer, Sommerbrodt, Wyss.

Quibus omnibus viris ex intimo animo gratias ago quam maximas.

Nunc vero tentaminibus et physico et medico nec non examine rigoroso superatis spero, fore, ut dissertatione thesibusque rite palamque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses defendendae.

1) Nulla herniae operatio radicalis.

2) Venena excitando sedent.

3) In pneumonia venaesectio haud plane rejicienda est.

4) Quo plura morbi laudantur remedia, eo incertior therapia.

5) Methodus exspectativa in typho abdominali optima est.